

CARMEN SÆCULARE



QUO

SCHOLAE PROVINCIALIS PORTENSIS

A. D. XII. CALEND. JUNIAS A. MDXLIII.

A MAURITIO PRINC. DUCE SAXONIAE

FELICITER CONDITAE

NATALEM TRECENTESIMUM

DIE XXI. MAII A. MDCCCXLIII.

IN TEMPLO PORTENSI

FESTO SOLLEMNIQUE RITU CELEBRANDUM

INDICIT

C. KIRCHNER. S. S. TH. ET PH. DR.

RECTOR SCHOLAE PROV. PORTENSIS.

980
25
(1843, 2)

NUMBURGI

TYPIS C. A. KLAFFENBACHII.



#T 0176 18275



UNIVERSITÄTS- UND LANDESBIBLIOTHEK
DÜSSELDORF

UNIVERSITÄTS- UND LANDESBIBLIOTHEK
DÜSSELDORF

UNIVERSITÄTS- UND LANDESBIBLIOTHEK
DÜSSELDORF

UNIVERSITÄTS- UND LANDESBIBLIOTHEK
DÜSSELDORF

UNIVERSITÄTS- UND LANDESBIBLIOTHEK
DÜSSELDORF

UNIVERSITÄTS- UND LANDESBIBLIOTHEK
DÜSSELDORF

UNIVERSITÄTS- UND LANDESBIBLIOTHEK
DÜSSELDORF

UNIVERSITÄTS- UND LANDESBIBLIOTHEK
DÜSSELDORF

UNIVERSITÄTS- UND LANDESBIBLIOTHEK
DÜSSELDORF

CARMEN SAECULARE.

Omnes.

**I. Summe Rex coeli, Moderator orbis,
Gentis humanae Pater atque Custos,
Sis, Deus, praesens, Tua templa sancto
Numine comple!**

Chorus A.

**ii. Suscipe et clemens pia corda nostra,
Accipe et grates, Tibi quas habemus,
Te celebrantes, Tua magna fata,
Tempore sacro,**

**iii. Quo bonae ut matris pia festa agamus,
Nos vocat cunctos gremium in sacratum
Portae amor nostrae, Tibi iam parantis
Solvere vota.**

Chorus B.

iv. Nam dies festus rediit, peracto
Tertio saeclo, celebrandus usque,
Quo Tuo nutu generosus olim
Splendida princeps

v. Haec Tibi templa, alme Deus, sacravit,
Ut pii cultus placidique moris
Esset et mentis celebres per artes
Sancta palaestra.

Chorus A.

vi. Quae, velut cautes pelago, procellas
Temporumque inter stetit et tumultus
Bellicos immota, perennis atque
Ardua semper.

vii. Fulta enim fundo pietatis alto
Haec domus, quam sacra cohors per omne
Tempus insedit, Tua mox datura
Munera terris.

Chorus B.

viii. Edocens artes populos salubres,
Remque divinam et veneranda curans
Iura et aegrotis medicans, suprema
Iussa ministrat.

ix. Et velut Nilus capite e profundo
Profluens, cursu viget atque vires
Auget ac diffundit aquas salubres
Omne per arvum:

Omnes.

x. Sic Tua, Rex summe, benignitate,
Principum curaque et amore in aevum
Vis salutarisque et adaucta crevit
Gloria Portae.

Chorus A.

xi. Conditum saeculum, bona avi profectum,
Prospera eductum, modo cum nitore
Occidens fausto, Tibi dat perennes
Laudis honores.

xii. Namque doctorum velut astra coelo
Nomina effulgent, radiatque alumnorum
Emicans, quos Porta aluit videtque,
Candida virtus.

Chorus B.

xiii. Et pudor, mos fasque vigent, honosque
Redditus virtuti, et amica menti
Aura Musarum feritatem ab omni
Pectore pellit.

xiv. Non semel circum tonuit quietos
Bellicus muros strepitus: pericla
Saeva cum turbis Tua, magne Princeps,
Dextra fugavit,

Chorus A.

xv. Et dedit Portae vegetam salutem.
Fluctuant laetae segetes virentque
Vitibus colles, gregibusque amoena
Pascua candent.

Chorus B.

xvi. Sub boni regisque manu potente
Alma pax artesque vigent amandae,
Aurea et fundit sua dona pleno
Copia cornu.

Omnes.

xvii. Ergo Te, Rex sancte, Tuumque nomen
Condito saeclo celebramus altum,
Et pias grates Tibi, Rector orbis,
Semper habemus.

Chorus A.

xviii. Auspice et Te, summe Parens, inimus
Haec novi saeculi spatia et precamur
Supplices votis, ut adesse pergas
Numine sancto

xix. Huic domo Portae, Tibi sacra semper
Quae fuit; sartam et bene tectam ab omni
Fraude conserves, subolemque remque
Crescere cures.

Chorus B.

xx. Fac Tuum numen pia rite adoret,
Vivat et Portae proba, fida, concors
Civitas semper, Tua Porta Coeli ut
Dicta probetur.

xxi. Da bonos mores docili iuventae,
Fac Tuum in nomen, patriae in salutem
Innocens crescat, studii fidelis
Ubere fructu.

Chorus A.

xxii. Da iuventutisque probos magistris,
Quorum opus non victus amor secundet,
Et duces Portae atque bonos ministros,
Et decus omne.

Chorus B.

xxiii. Da, Deus, Regi stabilem salutem
Optimo, Augustaeque domo, precamur;
Floreatque, hoc rege vicens, Borussia
Patria semper!

Omnes.

**xxiv. Sic, Parens orbis, Tua Porta in aevum
Denuo sit vota Tibi et sacrata!
Sit Tuo regno, veniente saeclo,
Porta beata!**

**xxv. Haec, Pater clemens, rata sint, precamur,
Per Tuum numen, Genitumque magnum,
Spiritus et Sanctum. Tua sit perennis
Gloria mundo!**

Omnes.

xxiv. Sic, Paren
Denuo sit
Sit Tuo re
Porta

xxv. Haec, Pate
Per Tuum
Spiritus e
Gloria

a in aevum
ata!

eclo,

nt, precamur,
que magnum,
sit perennis

